

## A d d i t a m e n t a.

### I. Particula Legendae Sancti Stephani Regis.

Capitulum ecclesie Albensis omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis salutem in eo qui est vera salus dans quietem hominibus. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod licet in antea honorabiles viri religiosi et Deo devoti frater Wylhelmus Dei et apostolicae sedis gracia abbas sacri montis pannonie cum suo conuentu mediantibus literis ipsorum amicabilem postulacione, amicabiliter a nobis postulauerint, ut de decreto sanctissimi Regis Stephani et de Legenda eiusdem ac eciam de registris ecclesie nostre in conseruatorio existentibus, que ad libertatem monasterii ecclesie beati Martini confessoris dicti sacri montis Pannonie pertinerent, in subsidium et tuicionem eiusdem monasterii, reinueniri, et dari sub sigillo nostro autentico eisdem concedi petebant, ut est pretactum. Sed quia huiusmodi reinuencio et concessio per simplicem petitionem fieri non debebat, secundum antiquam consuetudinem ecclesie nostre, sed ad preceptum dominorum nostrorum, Regis, et Regine, uel superiorum, ideo ad mandatum literarium domini Guidonis miseracione diuina tituli sancte Cecilie presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, in Legenda sanctissimi Regis Stephani, per sanctissimos papas approbata, et autentica, que ad dictum monasterium beati Martini confessoris et ad libertatem eiusdem luculenter et euidenter pertinent, excipienda. Cuius constitutionis Legende tenor talis est: „Post obitum uero patris Stephanus adhuc adolescens, fauore principum et plebis in patris solium laudabiliter prouectus, ardentiori anima cepit Veritatis propagator existere, qui quamuis adolescencie 5 annis floreret, non tamen cor in ore, sed os in corde habebat. Scripturarum diuinarum quibus adprime flagrabat non inmemor, iudicium et iusticiam in oculis proponebat. Iuxta illud Salamonis, audiens 10 sapiens disciplinam sapiencior erit, et intelligens gubernacula possidebit. In omnibus itaque mandatis Dei fidelis dispensator existens, apud se cepit meditari, qualiter subiectum sibi populum unius dei cultui manciparet. Sed quia perpendebat absque vicinarum gencium 15 confederacione fieri minime posse, pacem cum exterarum prouinciarum populis fideliter institutam roborauit, ut eo securius quod in mente tractabat in nouella plantacione christianitatis expleret. Sed aduersarius totius bonitatis inuidie plenus et malicie dyabulus, ut sanctum Christi tyronis propositum disturbaret, intestina contra eum bella commouit, quoniam eius instinctu plebs gentilis christiane fidei iugo 20 colla submittere renuens, cum principibus suis a dominio ipsius se subtrahere mollebat. Ceperunt enim urbes eius desolari, predia vastari, possessiones depredari, serui cedere, et ut cetera sileam ipsi

insultari. cumque declinare ipsi de via sua peruersa nollent nec furor eorum saciaretur, dux ipse confidens de eterna virtute, ad superandam hostium rabiem multitudine exercitus sui sub uexillo deo dilecti pontificis Martini sanctique martiris Georgii processit. Illis forte diebus vrbem que uulgo Wesprem nuncupatur obsederant. hoc ad conuicia eius commouentes, scilicet ut ubi ducalis accessus conuersacio habebatur, ibi conederent, quo facilius ingressus ad alia predia occupanda inueniretur. Ipse uero diuina preeunte clemencia aduersus eos consurrexit, et hic in fide, illi uero tamen in armis confidentes, utrimque decertauerunt. Tandem hostibus uictis et ex parte cesys, et ex parte captis et alligatis, dux uictor cum suis uictorie dona reportauit. Qua propter de possessionibus eorum tam in agris quam in uillis sapienter diiudicauit, non sicut quondam Saul, qui deuicto Agag rege Amalech, de spoliis eius domino prohibente meliora elegerat. Sed quoniam Pannonia beati Pontificis Martinianitate gloriatur, cuius eciam patrocinantibus meritis uir Christo fidelis ut iam dictum est de hostibus uictoriam reportauerat, nichil ex rebus eorum ad opus sui reseruans, inuito cum theophilis consilio, iuxta fundum sancti presulis in loco qui sacer mons dicitur, ubi sanctus Martinus dum adhuc in Pannonia degeret, oracionis sibi locum assignauerat sub tytulo ipsius monasterium construere cepit, possessionibus et redditibus cunctisque sufficientijs ditauit, et ipsius suffragio domitorum decimacionibus simile fecit episcopijs, constituens ex omnibus eorum facultatibus tam stricte decimas dari, ut si cui decem liberos habere contingeret, decimam prolem sancti Martini cenobio daret.“

Nos igitur tam ad preceptum dicti domini cardinalis, quam causa communis iusticie, ea que pertinent ad libertatem sepe dicti monasterii de uerbo ad uerbum vberiore rei ad cautelam absque scrupulo alicuius falsitatis inseri et transscribi fecimus.

In cuius transscriptionis prerogatiue reinuencionis libertatis et constitutionis memoriam, perpetuamque stabilitatem, eidem monasterio beati Martini confessoris, presentes literas nostras priuilegiales cum pendenti et autentico sigillo nostro munimine duximus roborandas. Datum anno dominice incarnationis millesimo trecentesimo quadragesimo nono. Reverendo uiro magistro Thatamerio dicte ecclesie nostre preposito, auleque regie vicecancellario, discretis uiris Ioanne cantore, Demetrio custode, Stephano decano ecclesie nostre existentibus, vndecimo Kalendas Augusti.

Archiv. Archiabb. S. Martini. Capsa XXVI. lit. II. Inscriptio sec. XVII. „Legenda S. Stephani Regis sub pendenti Sigillo Capli Albensis. Anno 1349. — Membrana. Sigillum rotundum e zona sericea viridi. Circum-

scriptio: „†: SIGILLVM. CAPITVLI. ALBENSIS. ECLESIE“. Intus: B. Virgo stans salutata per stantem Archang. Gabrielem; aureola circa caput utriusque, ex aureola angeli prominet crux. In transumpto Legendae capituli Albensis aequae ac in reliquorum capitulorum Iauriensis, Strigoniensis, Vaciensis et Nitriensis Ecclesiae transumptis deest interpolatio Hartviki capite VI. inchoans: Quos omnes usque distribuendo compulit. De uno enim eodemque Albensi fonte privilegialiter transumpto hauserunt, quod et in minoris solum momenti verbis varians lectio aperte demonstrat:

Archiv. AAbb. S. Martini Capsa XXIII. lit. W. Strigoniense. 1350. Inscriptio: „Transumptum Legende Sti. Regis Stephani super donatione Decimarum Symigiensium.“ Membrana, palimpsestus, de qua antiqua reambulatio metarum derasa fuerat. Sigillum integrum maius, e zona sericea rubro-flava pendens. Circumscriptio: „† S. MAIVS: CAPITVLI. S. † GONIEN: ECCLIE“ Intus: Archiepiscopus coronans regem; ubi a tergo coronantis haec sunt insculpta: AR-ChI-EPS S. † GO-NIEN. A dextris vero regis: „REX UNGA RIE.“

Variat lectio l. 22. plenus bis. — l. 29. eius o mittit. — l. 35. exercitus addit sui. — l. 38. vulgo post nuncupatur. — l. 46 et o mittit.

Archiabb. S. Martini Capsa XIII. K. Vaciense 1350. Super-scriptio coeva: „Super decimis Simigiensibus sci. regis Stheophani privilegium regis transumptum de Legenda.“ Pergamena. Sigillum e zona sericea rubro-flava pendens. Circumscriptio: S. MAIVS. CAPITVLI. WACIENSIS.“ Intus: S. Maria tenens super genua a sinistris infantem Iesum.

Variat lectio: l. 2. adoleccens. l. 12. Dei mandatis. — l. 15. quia quamuis. — l. 28. se o mittit. — l. 35. exercitus sui. — l. 39. ut o mittit. — l. 46. post uictis et o mittit.

Archiabb. S. Martini Capsa XXXIII. lit. U. Transumpt. Nitriense 1350. Superscriptio coeva: „Transumptum Legendae sci. Regis Stephani; super donatione Decimarum Symigiensium 1350. Membra, duobus locis a madore passa. — Sigillum minus capituli Nitriensis integrum, e zona rubro-flava pendens. Circumscr.: „† S. MINVC CAPITVLI ECLES. NITRIEN.“ — Intus: Sanctus Emeramus ep̄us, stans, dextera ad benedicendum levata, sinistra pedum cum libro tenet; a dextris reversis literis nomen:

M E  
A R E  
S V M  
M

Variat lectio: l. 5. loco qui — quia. — l. 19. post robororavit novum Stichon Vt.. — l. 28. post mollebat punctum. — l. 29. post urbet omittit eius. — l. 35. exercitus addit sui. — l. 50. Non incipit novum stichon. — l. 66. episcopis.

Ex archiabbatiæ archivo ad illud Comitum Forgách de Ghymes deviauit Transumptum Capituli Iauriensis, olim sub nro. 67. inscriptum. Superscriptionem habet: „Legenda S. Stephani Regis in Transumpto Capituli Iaurien. super Decimis Simigiensibus et etiam Libero- rum. Anno 1350. 4. Martii.“ Publicatum 1833 in G. Fejér C. Dipl. t. I. v. I. p. 787 sq., attentione, quam merebatur, non est receptum. Interpolatio hic aequè abest.

Variat lectio: l. 4. animo. quia. — l. 13. Deo. — l. 19. quae. — l. 24. contra eum omittit. — l. 29. eius omittit. — l. 29. et 30. desolare, vastare, insultare. — l. 36. Georgii Matyris, transponit et errat. — l. 44. loco tamen ponit temere. — l. 45. decertarunt. l. 46. post victis omittit et. l. 48. victoriae bona loco dona. l. 49. loco agris ponit aquis. — l. 53. sed quoniam Pannonie. l. 61. in titulo. — l. 65. suffragiis. — l. 66–67, eorum facultatibus transponit. — l. 68. contingerit.

## II. Priuilegium Sti. Stephani Regis.



In nomine domini dei summi.

Stefanus superna prouidente clemencia Ungrorum rex. Credimus et uere scimus, si locis diuino cultui mancipatis potestates atque honores adagmentauerimus, id non solum laude humana predicandum, uerum diuina mercede remunerandum. Quocirca omnium sancte dei ecclesie, fidelium nostrorumque presentium atque futurorum sollers comperiat intentio, quod nos interuentu, consilio et consensu domni Anastasii abbatis de monasterio sancti Martini in monte supra Pannoniam sito, ab genitore nostro incepto, quod nos per dei subsidium, ob anime nostre remedium, pro stabilitate regni nostri ad finem perduximus, talem concessimus libertatem, qualem detinet monasterium sancti Benedicti in Monte Cassino; quia propter orationes sanctas fratrum eiusdem monasterii, consiliante domno Anastasio prescripto Abbate, et iugiter adiuuante, confortati et laureati sumus. Singulare namque suffragium, quod per merita beati Martini in pueritia mea expertus sum, memorie posterorum tradere curauit. Ingruente namque bellorum tempestate, qua inter Theotonicos et Ungaros seditio maxima excreuerat, precipueque cum ciuilibus belli ruina urgeret, uolente comitatu quodam nomine Sumigiense paterna me sede repellere, quid fluctuanti animo consilii darem, quaque me uerterem tanta tactus uerecundia, astantibus ducibus, uidelicet Poznano, Cuntio, Orchio, domno quoque Domi-

nico archiepiscopo, uotum uoti sancto Martino, quod si de hostibus interioribus et exterioribus eius meritis uictor existerem, supranominati comitatus decimationem de omnibus negociis, prediis, terris, uineis, segetibus, vectigalibus, uinumque hospitum quod in prediis eorum excresceret, ne parochiano episcopo pertinere uideretur, sed magis abbati eiusdem monasterii, sub testimonio prefatorum ducum multorumque comitum absque ulla mora subiugarem. Dumque post cogitatum uictoria potirer, quod animo reuolueram, operis efficaciam complere studui; necdum enim episcopatus et abbatie, preter ipsum locum in regno Ungarico site, erant.

Quod si, uos fideles, licuit mihi, quo uolui, episcopatus et abbatias statuere, an non licuit cuiquam loco, quo uolui, ut facerem. Et ne adhuc ecclesia sancti Michahelis uacua esse uideretur, uel episcopus parochianus iniurias querimoniasue in collectione decimationis pateretur, ei curtem, que uocatur Cortou cum hominibus eidem pertinentibus tradidi. Quod si ipse contra mea statuta quid inique agere uel adquirere uoluerit, ante deum iudicem uiuorum et mortuorum in die iudicii se contendere mecum sciat. Adhuc autem subiungens dico, sit id ipsum monasterium ab omni inquietudine semotum, habeantque monachi post transitum sui cuiusque abbatis alium abbatem securiter eligendi, et a quocunque uelint episcopo consecrandi eum; sitque illis licitum ordines accipere quouis loco et a quocunque episcopo. Ante neminem uero abbatum capella incedat, nisi ante patrem eiusdem monasterii propter reuerentiam et sanctitatem ipsius loci, moreque episcopi in sandaliis missam celebret. Precipimus itaque sub testificatione saluatoris domini nostri Iesu Christi, ut nullus archiepiscopus, episcopus, dux, marchio, uicecomes, seu aliquis homo magnus siue paruus de iam fato monasterio aliquo modo se intromittere in mancipiis, terris, uineis, decimationibus, piscationibus, ripis, placitis, sine concessione abbatis eiusdem monasterii audeat. Quod si fecerit, componat centum libras auri optimi, medium camere nostre, ac medium prefato monasterio suisque rectoribus, maledictionisque perpetue, uinculo eternaliter feriat. Quod ut uerius credatur, hanc paginam manupropria roborantes sigillari iussimus.

Signum domni Stefani incliti regis (Mgr.) Dominicus archiepiscopus uicecancerarius fecit.

Anno dominice incarnationis M L I indictione XV. anno Stefani regis Ungrorum secundo hoc priuilegium scriptum et traditum est. Haec sunt nominate, uille, in dedicatione ecclesie, ab archiepiscopo Sebastiano et a comite Ceba: piscatores, Fizeg, Baluanis, Temirdi, Chimudi, Wisetcha, Vuosian, Murin, Curtov, Wag, tertia pars tributi de Poson in omnibus rebus siue presentibus siue futuris.

### III. Priuilegium Geisse regis de donacione Walferi super monasterio Kyzin. 1157.

In nomine domini dei summi. Victoriosissimo Geysse rege regna Pannoniorum strenue et gloriose gubernante. quando Strigoniensis archiepiscopus venerabilis Martyrius fuit. Mico Colocensis Archiepiscopus. Lucas Agriensis electus. Belus banus et comes palatinus erat. Appa comes. Heyndricus curialis comes regis. et alii primates regni. Ego Walferus dei et predicti regis gracia comes. recolens et cordetenus amplectens quia per donaria diuine maiestati fideliter oblata. et per temporalia seu caduca homines assequi promerentur eterna. ex gracia et beneficio supradicti regis. et fauore prenominatorum et omnium principum vngarie. nec non ex uoluntate Heruasy Geuriensis Episcopi parrochiani: in honore domini dei nostri, et omnium sanctorum: specialiter tamen sub titulo beate et gloriose semperque virginis Marie. ob incrementum et decorem totius Christianitatis et salutem animarum. tam proprie quam omnium parentum meorum et succedencium. in loco inhabitato et solitario qui dicitur Quijzin monasterium edificaui. Quod suis pertinencijs adornatum ex gracia et precepto regis et omnium ut predixi totius regni primatum assensu approbante. maxime autem ex uoluntate et adiutoria benedictione prefati Episcopi parrochiani. Monasterio sancti Martini in sacro monte Pannonie ob reuerenciam et sanctitatem ipsius loci et propter beati Martini patrocinium cuius natiuitate in eodem loco habita Pannonia gloriatur. quem admodum in alijs terris regularis displine gracia ad maiora Monasteria plerumque constitute sunt obediencie. in obedienciam tradidi, ita ut Archiabbatis sancti Martini, et totius eiusdem loci Conuentus cum filijs Ecclesie unanimi electione Abbas in eodem obediencie loco preponatur. Pertinencie autem ad eandem ecclesiam que ad usum et cottidianam sustentationem fratrum ibidem degencium ex proprijs possessionibus disposui. tales et tante sunt. Termini terrarum adiacencium cum Siluis et pascuis tanti spacij in circuitu habentur. versus ferreum Castrum terminus est fluuius Ezturmen. versus theothonicos fluuius Medus usque ad fontem ubi oritur. versus Dobrounc fluuius Zec. versus Witin torrens Zurnu et Berz, usque ad fontes ubi oriuntur. et sic circa usque dum uenitur iterum ad Ezturmen. Citra Ezturmen ex hac parte usque ad uiam regis. Constituit eciam Episcopus parrochianus quod si habitatores ad terram ita desertam conuenissent. decimas omnes eidem ecclesie donaret. Predia uero ista sunt. Sub radice montis quo monasterium situm est. predium unum cum duobus aratris et quatuor mancipijs. predium quoque quod Chegge dedit cum quatuor aratris. et octo mansionibus hominum. Tercium predium quod Podrag uocatur cum totidem aratris et mansionibus. Quartum predium quod uocatur Gijormoth cum duobus aratris et quatuor mansionibus, quibus addidit

quadragintas sex homines, paruulos scilicet, cum maioribus. et preter hos unum hominem qui remansit in iudicio pro homicidio Beze nomine Quos homines in seruicio ecclesie disposui. Quinque etiam seruus cum totidem ancillis. Vineas decem cum suis cultoribus. Equos indomitos et boues cum ouibus aut capris et porcis sufficienter. Hanc igitur cartam Barnabas notarius ex precepto regis scripsit et idem iussu regis regali et totius regni sigillo principali roborauit. Anno dominice incarnationis Millesimo. Centesimo. Quinquagesimo. Septimo. Cuius statuti quincunque euacuator esse uoluerit. tocius ecclesie vngarie sententia communi et auctoritate regali conuinctus nisi resipuerit. ante iudicem uiuorum et mortuorum cum beata uirgine dei genitrice Maria et sancto Martino rationem redditurus ipse contendat.

Archiv. archiabb. Capsa XVIII lit. R.

#### IV. Urbarium Belae IV. regis de anno circ. 1260.

In nomine sancte Trinitatis et Indiuidue Vnitatis. Bela Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Chrouacie, Rame, Seruie, Galicie, Lodomerie, Cumanieque Rex in perpetuum. Quum labilis est hominum memoria et rerum turbe non sufficit, congruum est et ad cautelam errorum expediens. quod ea que geruntur in tempore tam in rebus ecclesiasticis quam mundanis ne propter obliuionem labantur in tempore. uiuaci literarum testimonio perennentur. precipue propter frequentem calumpniam aliquorum qui nonnunquam peccatis exigentibus. laborant clara obfuscare. recta subuertere et ueritatem suo conamine subdere falsitati. Hac igitur consideracione inducti uolentes indempnitati et quieti Monasterii beati Martini de sacro monte Pannonie. salubriter cum cautele studio prouidere omnes terras eius igitur quando cunque et quocunque iusto titulo acquisitas per fidelem nostrum magistrum Albeum Archidiaconum Nitriensem uirum utique circumspectum prouidum et discretum, iussimus erectis metis et distinctis terminis designari. prout in subditis apparebit. Nichilominus precipientes eidem magistro specificare et redigere in scriptis. condiciones. officia. seu seruicia cunctorum hominum pertinencium ad monasterium memoratum, ut per hoc utrinque Monasterio uidelicet et populo fideliter sit prouisum. Monasterio ne propter incertitudinem officiorum. per maliciam eiusdem populi. debitis et consuetis seruiciis processu temporis defraudetur. populo uero. ne alias quicquam ultra debita et consueta seruicia per Monasterium exigatur. Prefatus autem magister preceptum nostrum adimplens diligenter terras metatis et condiciones hominum Monasterii sepe dicti redactas in scriptis nobis fideliter presentauit. Quarum series sic se habet.

Ipsa mons sacer Pannonie in quo situm est Monasterium beati Martini habet per circuitum ipsius montis terram a cacumine montis inferius per tria miliaria ab omni parte sui. uidelicet ab oriente meridie occidente et septentrione ad unum aratrum pro quolibet miliari. quam a

tempore sanctorum Regum. scilicet sancti Stephani et Ladislai tenuit et possedit et nunc possidet sine contradicione alicuius pacifice et quiete. et circum circa ad pedes supra dicti montis habet plures villas suas que inferius nominantur. Conterminales autem villas habet has:

Hymud que alio nomine Nelka dicitur. Tapan villam agasonum Regis. Villam Toryan que est communis sibi et aliis. deinde protenditur terminus eius usque Sabariam ubi dicitur natus sanctus Martinus. et ibi in valle media est fons sacer qui uocatur caput Pannonie qui cum aliis fontibus facit riuum sub ecclesia sancti Willibaldi et uocatur Pannosa. et inde descendit usque ad uillam Ech. et ipse riulus cum terra circa adiacenti pertinet totaliter ad dictum Monasterium. et circum circa riuum habet plura feneta. Stagna tria. et totidem loca apta ad molendina. deinde descendit usque ad villam Nul. vltra riuum uero iam dictum habet terras communes arabiles cum predictis uillis. et Siluas colles valles et Nemora que uulgo dicuntur Sacorov. in quibus habet plures vineas et loca apta ad plantandas vineas. Item habet conterminalem villam Rouozd et duas partes terre tocius ville ipsius. et terciam partem terre villarum predictarum Ech et Nul.

Archiv. archiabb. Fascic. 61 nro. 18.

I. O. G. D.

## Die Pflege der Musik im Benedictiner-Orden.

(Dargestellt von P. Utto Kornmüller.)

### ZWEITER ARTIKEL.



Das 11. Jahrhundert war die Blüthezeit des kirchlichen Gesanges, d. h. des einstimmigen Gesanges, des Chorals, wozu wesentlich der eben erst geschehene vollständige Ausbau des mittelalterlichen Tonsystems eine fein ausgearbeitete Theorie der Choral-Composition<sup>1)</sup>, und namentlich die von Guido hergestellte sichere Notirungsweise beitrugen. Viele Klöster erwarben sich in dieser Beziehung grossen Ruhm. In Deutschland waren besonders hervorragend die Schule zu St. Emmeram in Regensburg, St. Gallen, Reichenau, Hirschau, St.

<sup>1)</sup> Monatsblätter für Musikgeschichte. Herausg. v. Rob. Eitner. Berlin 1872. Nro. 4. 5.